

vis) hunc sequitur commodum. Decrecente vero pretio, nollet Emptor, quia dum Venditor captat lucrum, damnum etiam ferat, necesse est. Utrumque igitur in Emptorem conjici prudentissime Leges volunt, ut sic contractum (quæcumque obvenerit sive rei, sive pretii mutatio) donarent firmitate, Contractentem certitudine, et Republicam quiete. Sed utrum bene an male disserat Auctor hic alii dicant (1).

(48. Mihi penitus materiam hanc intuenti videtur Jus Romanum sibi non consentire. Juxta ipsum, ut dictum est, perfecta emptione et venditione, res vendita, licet non tradita, si perit, damno Emptoris perit. At quomodo hoc stare potest cum eo, quod dispositum est in L. 14. Cap. de Rei vindicat. in qua habetur: (49. « Quoties duobus in solidum prædium jure distrahitur, manifesti juris est, ei cui priori traditum est in delinquendo Dominio esse potiorum. » (50. Si Venditor emptione perfecta potest ex jure Romano rem illam alii vendere eumque facere dominum traditione ipsius, a justitiæ, et æquitatis Regulis abhorrere videtur, ut interim ea, si casu fortuito periisset, damno primi Emptoris periisset.

(51. Libet hic sententiam Grotii hac de re afferre: De venditione (inquit lib. 2. c. 12. § 15) et emptione notandum, etiam sine traditione, ipso contractus momento transferri dominium posse, atque id esse simplicissimum. Ita Seneca venditio alienatio est, et rei suæ, jurisque sui in alium translatio: nam et ita fit in permutatione. Quod si actum sit ne dominium statim transeat, obligabitur Venditor ad dandum dominium, atque interim res erit commoda et periculo venditoris. Quare quod venditio et emptio constat præstando ut habere liceat, et evictionem, item quod res periculo est Emptoris, et ut fructus ad eum pertineant antequam dominium transeat, Commenta sunt Juris Civilis, quod nec ubique observatur, immo plerisque Legum Conditoribus placuisse ut ad traditionem usque res commoda et periculo venditoris sit notavit Theophrastus in loco, qui apud Stobacum est (2).

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(52. Tria retractus genera distinguenda sunt. Hoc quippe jus vel ex conventionem, vel

(1) Validior ratio ex intimis jurisprudentiæ visceribus desumpta adducitur a Ger. Noodt. ad Pandect. pag. 412, tom. 2, Oper. Emptor. perfecta emptione, statim est creditor rei venditæ, emptor contra est debitor. Interitu autem naturali speciei debitæ liberatur speciei debitor. Heinec. exercit. 54, § 7, tom. 6. Neque super hac re eam repugnantiam invenio, quam notat Auctor a num. 6 ad 8, ex eo quod habeatur in l. 5. (non l. 14, ut ipse legit) Cod. de rei vindicat. Ei ex duobus, quibus in solidum res vendita est, acquiritur dominium cui prius res tradita sit. Ibi enim Imperator loquitur de venditione duobus in solidum facta, non vero prius uni, deinde alteri. Posteriori casu explorati juris est, post primum contractum si Venditor rei venditæ possessionem in alium transferat, multis actionibus posse a primo emptore conveniri, de quibus supra. Priori vero casu nil mirum, quod ei acquiratur dominium

ex juris communis, aut municipalis dispositione, aut jure sanguinis competere potest. Ideo retractus, vel est conventionalis, vel legalis, vel gentililitus. (53. Conventionalis est ille, qui ex conventionem, et pacto contractentium proficiscitur, « ut, si emptor rursus vendat non alii sed sibi (venditori) distrahat. » l. qui fundum 75. ff. de contrahend. emption. quo casu antequam extraneo rem emptam vendat emptor, suo venditori id tenetur denunciare, ut infra duos menses declaret an velit retrahere, quibus peractis, hoc retractus jus amittitur. (54. Quod tamen intelligendum de venditione, cum excepta venditione possit emptor quocumque alio titulo in quemlibet extraneum rem emptam transferre. (55. Voet. in Pandect. lib. 18. tit. 3. num. 10. et late de hoc retractu Zoes in Pandect. lib. 18. tit. 3. a n. 1. usque ad n. 35. Corvin. in Cod. lib. 4. tit. 54. pag. 244. coll. 1 in fin. et coll. 2. cum seq.

(56. Retractus vero legalis multas ob causas pluribus competit, utpote directo domino vigore directi dominii, si Emphyteutica bona extraneo vendat Emphyteuta, et vice versa hoc idem jus conceditur Emphyteutæ, si dominus directus vicinis ratione vicinitatis ex Constitutione Imperatoris Friderici de jure protomiseos, vel ex speciali locorum consuetudine. (59. Zoes. loc. cit. Corvin. loc. cit. coll. 246, in fin. Hoc ulterius gaudent privilegio illi quorum favore res obligatæ, vel oppigneratæ, vel hypothecatæ sunt. Anton. Matthæi de auction. lib. 1, cap. 16, n. 45, et late Cenc. de censibus.

ARTICUTUS V.

Quoad ea quæ concernunt actiones ex empto et vendito, et actionem ob læsionem ultra dimidium, et pactum legis commissoriæ, et additionis in diem.

(1. Actio ex empto, seu empti, est jus quod competit emptori ad consequenda ea quæ a venditore vi contractus debentur; leg. Ex empto. 11, ff. de action. empti. (2. Hoc Jus, seu actio oritur statim ac perfecta, et absoluta habetur venditio, § 1. instit. de

cui prius res tradita est. Cum enim Venditor duobus in solidum obligatus fuerit, manifestum est alteri rem promissam præstando a quacumque obligatione liberari, etiam respectu alterius, cum hæc sit natura obligationis de duobus reis stipulandi, ut singulis quidem promissor in solidum obligetur, sed petitione unius jus alterius perimatur, et unius acceptilatio alteri noceat. Duaren. oper. tom. 3 part. 177, coll. 2, in fin. et pag. 178, coll. 1, in princ. de verbor. obligat. tit. 2, de duobus reis constituend. cap. 4 et 5. Voet. in Pandect. lib. 45, tit. 2, num. 4. (Edit. Barbiell.)

(2) Hanc vero Grotii opinionem erroneam omnino, et insubstantem doctissime demonstrat Henric. Coccei comment. in eund. ad lib. 2, cap. 7, § 25, et Samuel. Coccei introduct. Glot. illust. dissert. præm. 12, § 208, n. 47. (Edit. Barbiell.)

emptione et venditione. (3. Non potest tamen cum effectu institui contra venditorem, nisi prius sit pretium ex integro solutum, aut saltem realiter ei oblatum; leg. 3, § 8, ff. de action. empti. (4. Actio ex vendito, seu venditi, est jus, quod competit venditori ad consequenda ea, quæ ab emptore vi contractus debentur; l. Julianus 13, § 9, ff. de action. empti. (5. Hoc Jus, seu actio, oritur statim ac perfecta, et absoluta habetur emptio; § 1. Instit. de emption. et vendit. (6. Non potest tamen cum effectu institui contra emptorem, nisi prius a venditore res tradita sit ipsi emptori; l. Qui pendentem 23, ff. de action. empti.

(7. Actio redhibitoria est jus ex empto, competens emptori contra venditorem ad redhibendam, id est iterum habendam, vel reassumendam rem venditam, et e contra ad pretium, cunctaque in integrum restituenda, quando venditor malitiose occultavit, vel non manifestavit rei vitium, defectum, vel morbum, ratione cujus ipsa res, vel ex toto, vel notabiliter est inutilis ad finem, et intentum ementis, adeo ut si emptor scivisset, non emisset. Est in re communis, et desumitur clare ex leg. Cum autem 23, § Julianus, et leg. Facta 60, et Legibus sequentibus ff. de Edilitio Edicto. (8. Vocatur autem redhibitoria ab effectu, quem habet; redhibere enim est facere, ut venditor iterum habeat, quod jam habuit, et sic malitiose vendidit; et quia redhibendo id fiebat, ideo redhibitoria est appellata, quasi redditio; leg. Redhibere 21, ff. de Edilitio Edicto. (9. Actio Redhibitoria competit non solum Emptori, sed etiam ejus hæredibus; l. Sciendum 19, § 5, ff. de Edilitio Edicto. (10. Et potest intentari non solum contra venditorem; sed etiam contra omnes ejus hæredes, l. Cum autem 23, ff. de Edilitio Edicto.

(11. Actio æstimatoria, seu quantominoris, est jus, quod ob venditam rem vitio laborantem competit emptori adversus venditorem, ad hoc ut tantum restituatur emptori, quanto minoris emisset, si vitium vel morbum scivisset. Est in re Communis, et desumitur clare ex leg. 1, l. 35, et aliis pluribus Legibus, ff. de Edilitio Edicto. (12. Vocatur autem æstimatoria, seu quanto, vel quanti minoris ab effectu, quem habet; tenetur enim venditor restituere emptori tantum pretium secundum peritorum æstimationem, quanto minoris emisset emptor, si vitium, vel morbum rei scivisset. Sic communis Doctorum ex citatis Legibus de Edilitio Edicto. (13. Actio æstimatoria, seu quanto minoris, vel quanti minoris competit non solum emptori, sed etiam ejus hæredibus, leg. Sciendum § 5, ff. de Edilitio Edicto. (14. Et potest intentari, non solum contra venditorem, sed etiam contra omnes ejus hæredes; leg. Cum autem 23, § 5, ff. de Edilitio Edict.

(15. Si venditor ignorans vitium rei, ipsam sine ulla malitia, et fraude vendidit tamquam bonam, non tenetur de damnis inde secutis, sed sola actione æstimatoria conveniri potest ad restituendum pretium, quanto minoris emptor emisset, si vitium rei scivisset; leg.

FERRAR. II.

Julianus 13, ff. de actionibus empti. (16. Si autem venditor rem notabili vitio laborantem scienter, et malitiose vendidit emptori, potest conveniri ab emptore actione Redhibitoria, vel Æstimatoria, non solum ad restituendum pretium, vel partem ejus, sed etiam ad compensanda omnia inde secuta damna, textu expresso in cit. leg. Julianus 13, in ff. de actionibus empti, ibi: « Qui pecus vitiosum vendidit, si quidem ignorans fecit, id tantum ex empti actione præstaturum, quanto minoris esset empturus, si ita esse scivisset; Si vero sciens reticuit, et emptorem deceptit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præstaturum ei; sive igitur ædes tigni vitio corruerint, ædium restitutionem, sive pecora contagione morbos pecoris perierint, quod interfuit idonee venisse, erit præstandum; Item qui furem vendidit, aut fugitivum, etc. » Concordat leg. 1, Cod. de Edilitiis actionibus et leg. Quæro 58, de Edilitio Edicto. Est communis.

(17. Pro instituenda Actione redhibitoria conceduntur sex menses, textu expresso in leg. 19, § fin. ff. de Edilitio Edicto, ibi: Tempus autem redhibitionis sex menses utiles habet. (18. Pro instituenda autem actione æstimatoria conceditur annus integer, textu expresso in cit. l. 19, § final. de Edilitio Edicto, ibi: Si autem non redhibentur, sed quanto minoris agitur, annus utilis est, et concordat leg. 2, Cod. eodem. (19. Quando ob vitium rei conceditur Actio redhibitoria, potest emptor intra sex menses loco ipsius assumere æstimatoriam; ita tamen ut non assumpta, variare amplius non possit; l. Si quid 18, in princip. ff. de Edilitio Edicto, l. Si is, qui § 1, de except. rei judic. (20. Si autem intra sex menses emptor nullam intenterit Actionem; potest post illos sex menses adhuc intra annum intentare Actionem æstimatoriam; l. Si tamen 42, § de Edilitio Edict. ibi: Non nocebit emptori, si sex mensium exceptione redhibitoria exclusus, velit intra annum æstimatoria agere. (21. Anno tamen elapso nullam amplius actionem, nec Redhibitoriam, nec Æstimatoriam poterit emptor intentare; quia tales Actiones in foro externo eo tempore præscribuntur; leg. Cum proponas 2, Cod. de Edilitio Action. ibi: Etenim Redhibitoriam actionem sex mensium temporibus, vel quanto minoris anno concludi, manifesti juris est. (22. In foro autem interno nunquam eximitur venditor ab obligatione restituendi, vel compensandi damna per talem deceptionem illata emptori; arg. Regul. 4, Juris in 6, ibi: Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, et sic communis Doctorum cum Molina disp. 353, conclus. 2, Layman. lib. 3, tr. 4, c. 17, n. 15.

(23. Actio ob læsionem non conceditur de jure Civili, nisi læsio sit ultra dimidium, habetur expresse ex leg. 2, Cod. de rescindend. venditi. et leg. Si voluntate 8, Cod. eodem. (24. Sic etiam de jure Canonico loquendo de foro externo cap. Cum dilecti 3. et cap. Cum causa 6, de emption. et vendit. ibi: « Cum constitisset nobis Monasterium

in venditione ultra dimidium justii pretii fuisse deceptum; sentiendo decrevimus, ut præfati Cives, aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent quantum constaret legitima evenditionis tempore justo pretio defuisse. » *Communis*. (25. In foro autem interno etiam infra dimidium lædens tenetur ad restitutionem, etiamsi ex ignorantia et bona fide læserit, argum. Regul. 206, ff. de Regul. Juris, ubi dicitur, quod jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, et injuria fieri locupletiore; et concordat Regul. 48. Juris in 6, ibi: « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura, » et sic communis Doctorum cum D. Thom. 2. 2, quæst. 77, art. 1. Molina disp. 350, num. 5. Pirhing. lib. 3 decretal. tit. 17, num. 26. (26. Minoribus 25 annis conceditur actio contra graviter lædentem, etiamsi læsio sit infra dimidium, habetur ex leg. *Quisquis* 15, Cod. de rescindend. vendit. et ex toto tit. ff. de Minoribus, et Cod. de integram restitutionem. *Communis*. (27. Sic etiam conceditur Ecclesiis, ac Communitatibus, eo quod Ecclesia gaudeat Jure Minorum; cap. *Auditis* 3, de integram restitut. *Communis*. (28. Sic etiam conceditur universaliter omnibus læsis infra dimidium, si læsio facta est ex dolo, et fraude, datur enim tunc actio ex dolo, leg. *Et eleganter*, ff. de dolo malo; leg. *Julianus* 12, ff. de action. empti. Et ratio est, quia fraus, et dolus alicui patrociniari non debet; cap. *Ex literis* 2, de dolo, et contumac. cap. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, de rescriptis; cap. *Tuæ* 12, de Clericis non residentib. leg. *Si in fundo* ff. de rei vindicat. leg. *Cum hi*, ff. de transact., et leg. *Si legatarius*, Cod. de Legatis.

(29. Ob læsionem ultra dimidium competit actio venditori contra emptorem; l. 2, et l. 8, Cod. de rescind. vendit. cap. *Cum causa* 6, de empt. et vendit. *Communis*. (30. Item competit emptori contra venditorem. In correlative enim oppositis, uti sunt emptor et venditor, quod statuitur de uno, censetur etiam statutum de altero, si eadem de utroque militat ratio; ut in hoc casu, argum. leg. fin. Cod. de Indict. et leg. *Cum emptor* 5, de rescind. vend. Sic communis Doctorum cum Abbat. in cit. cap. *Cum dilecti* num. 3. Molina disp. 349. Pirhing. lib. 3, decretal. tit. 17, num. 25. Reiffenstuel. ibid. num. 335. Haunold. tract. 10, cap. 1, num. 240. Læsis ultra dimidium eodem modo, et æqualiter computari debet in venditore et emptore. (31. Sic Glossa in citat. leg. 2, Cod. de rescind. vendit. et in cit. cap. *Cum causa* 6. de emption. et verb. *Dimidiam*; Covarruv. lib. 2, variat. resolut. c. 3, num. 8. Guttierrez 2, cap. 22, quæst. 133. Lessius c. 21, num. 20. Reiffenstuel. loc. cit. num. 336. Pirhing. l.

(1) Si per legis dispositionem emptor ille potest fructus interea perceptos sibi retinere in utroque foro, ex eo quod læsio illa ultra dimidium facta fuerit non mala, sed bona fide, non apparet cur debeat id restituere in quo factus est ditior. Dum enim rem emptam cum læsione semel ac retinebat, ipsam bona fide retinebat, ac ubi læsionem esse cognovit, rem

c. num. 25, dicens hanc sententiam esse communem, veriore, et æquiore, licet Fachin. lib. c. 16. Myzing. centur. 4, observ. 73. num. 4. et alii contrarium sentiant. Vid. articul. 1, num. 17, 18 et 19. (32. Emptor ultra dimidium lædens tenetur, vel defectum pretii supplere, vel rem iterum restituere: textu expresso in cit. leg. 2, et 8. Cod. de rescind. vendit. et in cap. *Cum dilecti* 2, de emption. et vendit. ibi: « In arbitrio emptoris est, si velit supplere justum pretium, aut venditionem rescindere, cum res minus dimidia justii pretii comparatur, » et concordat cap. *Cum causa* 6. eodem tit. per verba adducta supra num. 24. (33. Sic etiam venditor ultra dimidium lædens tenetur, vel excessum pretii restituere emptori, vel rem venditam iterum recipere, restituito pretio accepto. Sic communiter omnes citati Doctores ob paritatem rationis; argum. cit. leg. 2, et 8. Cod. de rescindend. vendit. et cit. cap. *Cum dilecti* 3, et cap. *Cum causa* 6, de emption. et vendit. (34. Nec emptor, nec venditor, satisfacit restituendo tantum, quantum sufficit, ne læsio sit amplius ultra dimidium, sed debet integre restituere totum id, quod deest justo pretio. Sic communis Doctorum; arg. c. l. 2, et 8, de rescindend. vendit. cit. c. *Dilecti* 3, et c. *Cum causa* 6, de emption. et vendit.

(35. Quando læsio ultra dimidium facta est bona fide, et emptor iterum restituit rem emptam, potest fructus interea perceptos sibi retinere in utroque foro (1); argum. cap. *Cum ad nostram* 11, de rebus Eccles. alien. vel non; ubi ob enorme dispendium illatum Monasterio ob venditionem Feudi, jubetur emptor recepto pretio Fundum restituere, fructus autem interea perceptos retinere permittitur, ibi. « Cum sibi fructus percepti sufficere debeant pro labore. » Sic Guttierrez 2, part. qq. q. 134. Molina disput. 349. Layman lib. 2, cap. 24. Lessius lib. 2, cap. 21, dub. 15. Pinell. part. 4, n. 1. Reiffenstuel. loc. cit. n. 343, et alii passim. (36. Quando vero læsio ultra dimidium facta est mala fide, seu dolose, et fraudulenter, tunc emptor tenetur una cum re etiam omnes fructus perceptos restituere. Et ratio est, quia nemo debet ex iniquitate sua commodum reportare, et fraus, et dolus alicui patrociniari non debet per Jura cit. supra num. 28. (37. Quando læsio est facta bona fide, et rescinditur contractus, venditor tenetur refundere emptori expensas, quas interea in necessarias, et utiles rei meliorationes fecit; Universaliter enim bonæ fidei possessori casu, quo res iterum restituitur, sumptus, ac meliorationes restitui debent; leg. *Si prædium* 16, Cod. de prædiis minor. *Communis*. (38. Actio contra lædentem ultra dimidium bona fide institui potest usque ad

emptam restituit, nullus igitur in tali emptore dolus apparet, nulla intentio nocendi proximo; adeoque si permittitur ipsi fructuum perceptorum retentio, cogi non debet ad restituendum id, in quo factus est ditior eo tempore, quo rem emptam bona fide possidebat. (Nota Romani Theologi.)

triginta annos. Glossa in cit. leg. 2. Cod. de rescind. vendit. et communis Doctorum, arg. leg. *Sicut* 3. Cod. de præscript. 30. ann. (39. Contra lædentem vero mala fide potest institui actio usque in perpetuum, quia cum mala fide nullo tempore præscribitur, textu expresso in Cap. *Quoniam* 20, de præscriptionibus; ibi: « Definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quam Civilis, » et Reg. 2. Juris in 6. ibi: « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. » *Communis*.

(40. Pactum Legis Commissoriæ, seu Lex Commissoria est pactum a contrahentibus emptioni, et venditioni appositum, ad hoc ut nisi intra certum tempus emptor solverit pretium, nulla sit ipsa emptio, et venditio. Est in re communis, et patet ex l. 2, et 5, ff. de Lege commissoria, et cap. *Significante* 7, de pignoribus, ubi vocatur pactum Legis commissoriæ. (41. Si emptor determinato per pactum tempore pretium non solvit, dicitur Lex commissoria, et statim ipso jure res ad venditorem redit; leg. fin. ff. de Lege commissor. *Communis*. (42. Etiamsi emptor a venditore ad solvendum non moneatur, aut interpelletur; leg. *Si fundus* 4, § final. ff. de Lege Commissor. In hoc enim dies interpellat pro homine; leg. *Magnam* 12. Cod. de contrah. et commit. stip. (43. Immo non solum res ipsa iterum redit ad venditorem, sed etiam fructus interea ab emptore percepti, et reliqua commoda, vel accessiones rei eidem venditori restitui debent; leg. *Si fundus* 4, et leg. *Fundo* 5, ff. de lege Commissor. quia ut ibi dicit textus, nihil penes eum residere oportet ex re, in qua fidem fefellisset. (44. Venditor tamen Lege commissoria, seu pretio per emptorem statuto tempore non soluto, habet in sua libertate, vel pretium adhuc petere, vel rem venditam una cum fructibus repetere, dummodo statim se resolvat, et semel alterutro electo, non amplius variet, textu expresso in leg. *Si fundus* 4, ff. de Lege commissor. ibi: « Eleganter Papinianus scribit, statim atque commissaria est Lex, statuere venditorem debere, utrum Commissoriæ velit exercere, aut potius pretium petere, nec posse, si Commissoriæ elegerit, postea variare; » concordat l. 4, Cod. de pactis inter empt. (45. Emptor autem non habet hanc libertatem eligendi, sed debet præstare id, quod venditor elegerit; arg. leg. 3, et 4, ff. de Lege commissor. et ratio est clara, quia, quod est introductum in favorem venditoris, cederet in ejus odium, et damnum, quod iniquum est, l. 46, § final. ff. de fideic. lib. leg. 6. Cod. de Legibus, et facit Regul. 61. Juris in 6, ibi: « Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. »

(46. Pactum additionis in diem est pactum a contrahentibus venditionis appositum ad hoc, ut liceat venditori rem venditam denuo alteri emptori vendere, si intra certum tempus aliquis meliorem conditionem pro tali re offerat; Est in re Communis, et desumitur ex l. 1, ff. de in diem addit. (47. Dicitur, *Additio in diem*, quia non sta-

tim adducitur, seu datur primo emptori irrevocabiliter, et perpetuo, sed in diem, id est ad certum tempus, intra quod si nullus emptor meliorem conditionem offerens appareat; adducitur tandem perpetuo, et irrevocabiliter. (48. Ille autem censetur offerre meliorem conditionem, qui offert aliquid, quod ad majorem utilitatem, et commoditatem venditoris pertineat; l. *Quidquid* 5, ff. de in diem addit. (49. Si venditione cum pacto additionis in diem celebrata, intra tempus determinatum alius emptor meliorem conditionem offerat, ut eam venditor acceptet, statim ipso jure absque ulla alia actione res vendita iterum redit ad venditorem, leg. *Si quis hac Lege* 41, in princip. ff. de rei vindic. (50. Et tunc debet emptor restituere venditori nedum ipsam rem, sed etiam omnes fructus interea ex illa perceptos, et accessiones, et commoda illius, l. *Item* 6, ff. de in diem addit. (51. Potest tamen emptor adducere expensas, quas interea in rem necessario fecit, et venditor tenetur eas ipsi compensare leg. *Imperator* 16, ff. de in diem addit.

(52. Pactum additionis in diem non potest suum sortiri effectum, nisi concurrant sequentes conditiones. Prima est ut vere, et sincere, absque dolo et simulatione ab alio emptore melior conditio offeratur venditori: aliter si dolose simulata meliori oblata conditione æquali solum, vel minori pretio reipsa alteri venderetur, secunda venditio esset nulla, dolosus venditor teneretur ad omnia damna emptoris; l. *Si venditor* 14, ff. de in diem addit. (53. Secunda est, ut emptor primus nolit ipse oblata meliorem conditionem præstare, vel adæquare, quia si prior emptor velit præstare totum id, quod sincere offert alius, subsistet venditio; l. *Licet* ff. de in diem addit. (54. Tertia est, ut venditor oblata a secundo emptore meliorem conditionem reipsa acceptet, quia si secundo huic emptori pro oblata meliori conditione rem vendere recuset, uti revera potest ex l. *Sabinus* 9, ff. de in diem addit.) tunc subsistet prima emptio etiam invito primo emptore; citat. l. *Sabinus*, nisi ipse primus emptor expresse convenerit cum venditore, ut sibi liceret resilire, meliori ei conditione oblata; citat. l. *Sabinus*, quia ex Regul. 85. Juris in 6. « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. » (55. Quarta est, ut infra diem, seu tempus additionis venditor non moriatur, vel si moriatur, adsit intra illud tempus hæres idoneus, cui melior conditio possit offerri; l. *Si prædium* 15, ff. de in diem addit.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(56. Actio empti competit emptori. (57. Eaque petitur, ut res vendita corporalis tradatur, incorporalis cedatur, vel alio simili modo ejus quasi traditio fiat, una cum fructibus perceptis a tempore venditionis, cum omnibus accessionibus, aut pacto speciali comprehensis, aut ex generali natura emptionis solitis præstari. Clarissimus Voet in comment. ad Pandect. lib. 19, tit. 1, a num.

4, ad plur. sequent. illustrioribus exemplis, quæ accessionis jure in emptorem transire debeant, ostendit.

(58. Actio venditi competit venditori. In id ea tendit, ut emptor pretium solvat, impensas restituat a venditore post venditionem factas, præstetque insuper omnia illa, quæ vel ex speciali pacto apposito, vel ex emptiois natura præstari debent; potissime vero usuras ex mora. (59. Idque quia æquum est, ut dum re fruitur Emptor usuræ venditori cedant leg. 8, Cod. de Action. Empt.

(60. Nec ab hac usurarum præstatione, se ex eo subducere potest emptor, quod ob imminentem rei venditæ, ac traditæ evictionem, denegaverit solutionem pretii, aut venditor noluerit illud legitimo modo oblatum acceptare. (61. Quum hisce in casibus oportuisset illud consignatum deponere, eo quod usuræ pretii rerum venditarum non ex consideratione moræ ex Persona per interpellationem introductæ, sed propter conventionem, aut moram ex re debentur: ne scilicet Emptor simul lucretur usuras pretii, et fructus rei, qualium usurarum cursus nequitquam sola sistitur oblatione, sed accedat oportet deposito. leg. 19, c. de Usur. Carpov. Jurisprud. Forens. part. 2, Constitut. 34, Definit. 38. Sande Decis. Frisic. lib. 3, tit. 14, Definit. 8.

(62. Quæri hic solet, uter prior Contractum implere debeat, Emptor an venditor. Facilis vero est responsio, nimirum, quod is qui agit, sive emptor, sive venditor sit, prius ex latere suo implere, ac præstare debeat omnia, ad quæ præstanda ex Contractu illo obstrictus est, ne alioquin per rerum conventum exceptione contractus ex latere actoris necum impleri, repellatur. leg. 13, § 8, leg. 25, ff. de action. Empt. et vendit. leg. 25, l. 57. Edilit. edict. et leg. 5. Cod. de Eviction.

(63. Et quod notandum est, exceptio contractus non impleri, ex parte actoris non a reo ipsam proponente, probanda est, sed per actorem ex contractu veluti impleto agentem, implementum probari debet. Et summa ratione. Totum enim Actoris fundamentum in Contractu ex parte sua impleto consistit; necessario propterea implementum illud ab adversario negatum probari debet. Zanger. de exception. part. 3, cap. 22, num. 6, et plur. sequent.

(64. In quacumque vero Judici parte actori si objiciatur exceptio contractus non impleri, liberum ei est implementum quantoctius offerre, atque hoc pacto efficacem reddere suam, quæ ab initio laborat petitionem; arg. leg. 9, § ult. ff. de Pignorat. Action.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(65. Falsum est, semper majorenni ob læsionem dari actionem de dolo. (66. Duplex enim est dolo, alius dans causam contractui, alius incidens. Ille est quando quis per falsas machinationes ad contrahendum inducitur, alias non contracturus, et hoc casu nullus omnino remanet contractus, si deceptus suo jure uti velit, qui tamen si stare

contractui velit, decipiens illum non potest dissolvere. Bruneman. in Cod. lib. 4, tit. 44, leg. 5, num 1 et 2. (67. Hoc casu liberum est decepto, vel ad æquitatem reducere, si velit servare contractum, vel ab eo omnino recedere. (68. Non ita tamen quando dolus est incidens, quis nempe empturus, sed non tanti. (69. Tunc enim contractus in suo robore manet, data tantum actione decepto repetendi quod ratione doli excessit, et hæc locum habent in contractibus bonæ fidei. Molin. de contract. disp. 259, et 352. Covarruv. variar. resp. lib. 2, cap. 4, 12. (70. Sed non actione doli, bene vero actione empti per male ab Auctore allegatum text. in Leg. Julianus 13, ff. de action. empt. § 4. « Si venditor dolo fecerit ut rem pluris venderet, puta de artificio mentitus est, aut de peculio, empti iudicio teneri, ut præstaret emptori quod quanto pluris servum emisset, si ita peculiatu esset, vel artificio instructus. »

(71. Distinguendum insuper est inter contractus bonæ fidei, et inter contractus stricti juris. In primis procedunt ea, quæ superius tradita sunt. (72. In contractibus vero stricti juris, valido remanente contractu, datur exceptio doli, si omnia sint integra, Actio vero doli, si contractus jam consummatus sit. Bruneman. in Pandect. lib. 4, tit. 3, leg. 7, et leg. 8, per tot. præfert. num. 9, et in Cod. lib. 4, tit. 10, leg. 4, n. 10. (73. Cæterum verius est minori decepto non tantum per dolum, sed etiam per læsionem non excedentem dimidiam partem dari restitutionem, sed majorenni non succurri nisi in casu, quo quis sit ultra dimidiam læsus. Bruneman. in Cod. lib. 4, tit. 44, leg. 5, num. 4.

(74. Superest de additione in diem ex lege aliquid attingere. Quod ex conventionē cuicumque venditori competit, id ex Lege omnibus Locis Pii vendentibus debetur. Hæc quippe post perfectam venditionem non possunt cogi ad rei venditæ dominium, et possessionem in emptorem transferendam, nisi a tempore stipulati contractus lapsi sint viginti dies. Hujus temporis spatium si melior alterius emptoris conditio accedat, jure possunt Loca Pia a primævo recedere contracti, et rem in secundum oblatores transferre. (75. Si tamen primus Emptor æquales secundo offerat conditiones, primus debet secundo præferri, primus tamen nunquam excluditur quando agatur de modica summa, vel augmento Card. de Luc. de Regal. disc. 61, num. 12 et 24. Sacra Congregat. Concil. in Reatina 28. Septembris 1726, in Thesaur. resolut. tom. 3, pag. 373. Rot. in Romana Appaltus lignorum 15. Januarii 1742, cor. Calcagnino. Romana afflictus 9. Junii 1749, cor. Molino. (76. Hoc idem privilegium ad Minorum, Fiscii, et Communitatum alienationes et locationes extendunt Voet in Pandect. lib. 18, tit. 2, num. 2. de Vech. ad Bull. bon. regim. tom. 2, ordin. 318, pag. 118, et in appendic. pariter. tom. 2, in annot. ad verb. appalti pag. 18. cum Seq. Zanch. de Prælat. Credit. exercit. 1. § 4, num. 8. « Ac de illis adjectionibus, quæ occasione locationum et venditionum rerum ad communitates perti-

nentium quotidie sunt in vigesima intra decem dies, et in sexta intra viginti dies super majori, seu meliori data, simulque admissa oblatione, » ibique innumeros allegat. Rot.

CONTRIBUTIO.

SUMMARIUM.

1. Ecclesiæ et Ecclesiastici sunt immunes ab omnibus contributionibus. — 2. Excommunicationem Papæ reservatam ipso jure et facto incurunt Principes cujuscumque Dignitatis Ecclesiis vel Ecclesiasticis Contributiones imponentes. — 3. Etiam si Clerici absque coactione Contributiones persolvant. — 4. Ab hujusmodi excommunicatione nemo præter Papam potest absolvere. — 5. Sex conditiones requiritur ut absque incurso excommunicationis et culpæ contributiones Ecclesiis et Ecclesiasticis imponi queant. — 6. In casu urgentis necessitatis pos-

(1. Ecclesiæ, et Ecclesiastici tum Sæculares, tum Regulares, sunt immunes ab omnibus Contributionibus, exactionibus, tributis, et oneribus novis, et extraordinariis, etiam illis, quæ ex causa belli, famis, et pestis, ac nujusmodi a Laicis imponuntur. Communis per expressos textus in cap. Non minus 4, et cap. Adversus 7, de Immunit. Eccles. cap. Quamquam 4, de censib. cap. Quia nonnulli 1, et c. Clericis 3, de Immunitat. Eccles. in 6. Extravagant. Quod olim, de Immunit. Eccles. Bulla Cænæ § 18. Constitut. Urbani VIII, incip. Romanus Pontifex. Concil. Trident. sess. 25, cap. 20, l. Placet. 5, et l. Sancimus 21. Cod. de Sacrosanct. Eccles. l. Descriptionis 1. Cod. de imponenda lucrativa descript. Authent. Item multa, Cod. de Episcop. et Clericis, Novella 131, cap. 1, cum similibus, et pluribus aliis juriibus, tam Canonici, quam Civilibus, et innumeris Sacre Congregationis Immunitatis Decretis, quæ inter alios referuntur a Petro Andrea Riccio in Synopsi Resolutionum, et decretorum Sacre Congreg. Immunit. verb. Contributio, et fere per totum.

(2. Omnes, et singuli cujuscumque dignitatis, et præminentia etiam Imperialis, Regalis, Ducalis, etc., sive per se, sive per alios directe, vel indirecte exigentes sine expressa speciali licentia Romani Pontificis ab Ecclesiis, Ecclesiasticis personis, aut eorum bonis Contributiones, collectas, decimas, tales, præstantias, et quæcumque alia hujusmodi; seu ad id consilium, auxilium, favorem, concursum, ac executionem præstantes, præter gravissimum sacrilegii peccatum, et integram debitam omnium restitutionem, incurunt ipso Jure, et facto excommunicationem majorem Papæ reservatam; Bulla Cænæ § 1, et 21. cap. Clericis, de Immunit. Eccles. in 6. Constitut. Urban. VIII, incip. Romanus Pontifex, cum aliis citatis juriibus.

(3. Et hanc excommunicationem incurunt qui dictas Contributiones, Collectas, et hujusmodi impositas, etiam a sponte dantibus, et concedentibus (hoc est sine alia vi, aut coactione præter exactionem, seu impositionem) recipiunt; Bulla Cænæ in cit. § 18. ibi. « Aut sic imposita etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt, » et cit. Const.

post. de Vech. l. c. t. 3, dec. 156, a n. 17, ad 20, et in Romana Affictus 12. Febr. 1751, per tot. præsertim § 3, 4, 5 et 6, cor. Matth.

sunt imponi, cum consensu Episcopi et Cleri — 7. Si diutius necessitas perduret, Pontifex adeundus. — 8. Si particularis urgeat necessitas, etiam sine consensu Episcopi absentis Contributiones Ecclesiis imponi possunt. — 9. Nomine Cleri consentientis in Contributionum impositione non solum venit Capitulum Ecclesiæ Cathedr. sed totus Clerus Diocesis, saltem in suis deputatis. — 10. Quomodo servetur Immunitas Ecclesiæ, et Episcop. immunitati consulatur. — 11. ad 14. Quæ advertenda sint circa Episcopi et Cleri arbitrium circa Contributiones. — 15. Alia ad rem. Remissive. — 16. De Contributione expensarum pro re communi. Remissive.

Urbani VIII. incip. Romanus Pontifex § 6. ibi: « Etiam a sponte dantibus, vel Contribuentibus, » et sæpissime Sac. Congregat. Immun.

(4. A prædicta excommunicatione extra articulum mortis nemo præter Romanum Pontificem absolvere potest: et in articulo mortis nemo absolvere potest reos, nisi ipsi prius cautionem præstent de satisfaciendo seu restitutionem faciendo, et similia non ulterius faciendo, textu expresso in Bulla Cænæ § 21. c. Clericis 3, de Immunit. Eccles. in 6. cit. Constit. Urbani VIII. incip. Romanus Pontifex, cum aliis supra allegatis juriibus.

(5. Absque incurso tamen excommunicationis, et culpæ possunt licite imponi Ecclesiis, et bonis Ecclesiasticis contributiones, et collectæ extraordinariæ, easque tenentur Ecclesiæ, et Ecclesiastici solvere, si sex copulative conditiones concurrant: Primo, deliberatio Episcopi una cum Clero; Secundo, magna necessitas, et utilitas; Tertio, ut necessitas, vel utilitas sit communis tam Laicorum, quam Clericorum; Quarto, ut Laicorum facultates non suppetant; Quinto, ut prius Romanus Pontifex consulatur, et expressam facultatem ad id concedat, nisi grave periculum sit in mora; Sexto, ut Contributio fiat sine ulla exactione Laicali, sed exactio fiat per personam Ecclesiasticam a Superiore Ecclesiastico deputandam. Sic per Jura citata supra n. 1. expresse Sac. Rom. Rot. in Brundusina Tabellæ 13. Febr. 1604. coram Pegna, sequuta a Sac. Congr. Immunitatis 28. April. 1650. relata a Barbosa lib. 1. Jur. Ecclesiastici univers. cap. 39. § 6. num. 8, et a nobis ad literam adducta sub verb. Bona Ecclesiastica, art. 2. num. 71. et sic Fagnanus, in cap. Non minus 4. de Immunitat. Eccles. a num. 22. Barbosa loco citato. Reiffenstuel lib. 3, decr. lit. 49. a num. 254, et communis aliorum, ac alia Rotæ decisiones, et innumeræ Sac. Congreg. Immunit. resolutiones apud Riccium loco cit. Pignatell tom. 2, cons. 14, et tom. 3, cons. 5, ac tom. 4, cons. 121, et varios alios.

(6. Dicitur autem notanter in quinta requisita conditione: Nisi periculum sit in mora, quia in casu urgentis necessitatis, hostis immi-